Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 179
Quelle:
Copyright:

enotatus, et olim *Conuentus ſancti Thome martiris Quinqueeccleſijs fundati fratrum predicatorum*, dein *M. Nicolai de Czeek* praedicatoris Eccleſiae illius, qui illum a F. *Paulino* O. P. in concambium pro *Epiſtolis Hieronymi* accepit, continet *Nicolai de Lira* O. M. celebris Sec. XIV. Bibliorum interpretis *Poſtillas in Pentateuchum*, ut mox ab inventa typographia ſaepius editae ſunt, et in Bibliis *gloſſatis* v. g. *Lugduni* 1545. f. habentur. Nobis rubro praeſcriptae ſunt: *Incipit lectura Nicolai de lira. Primus prologus de Commendatione ſacre ſcripture.* Ejus initium: *Hec omnia liber vite* &c. Prologus alter infit ita: *Uidi in dextra ſedentis* &c. Tum procedit Expoſitio. Singulis libris ſubjectus eſt Scriptionis annus 1485. Geneſi praeterea additur: *in penthecoſten uel citra*, Numeris: *2ª die feſtiuitatis Auguſtini*, et Deuteronomio: *Finis in feſto Beati Mathei apoſtoli et Ewangeliſte.*

CXIX.

U. 55 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 393. f. luculente exaratus, et rubricis diſtinctus Lectionem *Curſoriam*, ut vocabant, Bibliorum, et quidem in *Pentateuchum* continet Autore quodam Academiae *Vien.* Profeſſore, qui hoc ipſo Exemplo pro Schola uſus eſt, ut varia cum in marginibus adjecta, tum in ſchedis inſertis adnotata credibile faciunt. Praemiſit ille primo *breuem collationem diuinalis ſapientie recommendatoriam*, tum *ſeptem regulas ſecundum Nico. de lira exponendi ſacram ſcripturam*, demum *Geneſin* ſic ingreſſus eſt: *In principio creauit deus celum et terram. Secundum diuiſionem conſuetam dimiſſis curioſis tota ſacra ſcriptura in duas partes diuiditur in vetus videlicet et nouum teſtamentum* &c. Ad calcem *Geneſeos* jacet haec nota: 1438. *3ª. feria poſt egidi finitum eſt hoc opus.* Ad calcem *Exodi* altera: *Finis expoſitionis ſuper exodum lecte et finite in ſcolis 2ª. feria poſt Annunciationem Marie.* 1439. Tandem ad *Deuteron.* calcem, quae et Codicis eſt: *1440. viti.* Literae plerumque probe inſiſtit Commentator eruendus fortaſſis e Profeſſorum Catalogo in Tabulariis Univerſitatis.

CXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 126
Folior. nunc 229. f. non una manu currente conſcriptus et rubro diſtinctus complectitur I. *Lecturam in Geneſin*, cujus Prooemium infit: *In principio creauit* &c. *Obmiſſis diuiſionibus curioſis accipio primam diuiſionem quae magis eſt conſueta. Tota igitur ſcriptura ſacra diuiditur in duas partes videlicet in vetus et nouum teſtamentum* &c. Ad calcem legas: *Explicit Anno Domini Mº CCCCº XXXIII. in feſto Sancti Udalrici hora 1. in libraria Collegij.* In dorſo vero *Codicis* manu recentiore tribuitur *Johanni* (Gröſsel) *de Tittmanning* Oppido *Salisburg.* Theologo noſtro celebri et D. *Stephani* Cano-